



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Lessings sämtliche Werke**

in 20 Bänden

Gedichte, Fabeln und Abhandlungen über die Fabel

**Lessing, Gotthold Ephraim**

**Stuttgart, [1882?]**

Epigrammata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64824)

iner.

## Epigrammata.

---

### Ad Turanium.

Viventi decus atque sentienti,  
Turani, tibi quod dedere amici,  
Rarus post cineres habet poeta,  
Nec tu post cineres habebis ipse.

---

### In Aristum.

Nescio, dum dicit, multum, mentitur Aristus.  
Qui nescit multum, paucula scire potest.

---

p.

### Ad Gelliam.

Vota tui breviter si, Gellia, noscere vatis,  
Dignorum juvenum publica cura, cupis:  
Spernit opes regum, regum quoque spernit honores;  
Esse suus primum, tunc petit esse tuus.

---

### Ad Pompillam.

Vir fovet amplexu, nec tu prohibebis? amicas.  
„Hunc ego? qui nobis jura dedit paria.“  
Ast velit amplexu quis te, Pompilla, fovere?  
Sic vir jura dedit, nec dedit illa simul.

---

### Ad Amicum.

Laetus es et pauper: sciat hoc fortuna caveto,  
Ne te felicem jam putet esse nimis.

---

**Ad Ponticum.**

Qua tua fronte legam, mi Pontice, carmina, quaeris?  
 Num, precor, illa legam, Pontice, quaere prius.

---

**Ad \*\*.**

Abs te cum laudor, tibi cur laudatur et Aldus?  
 Dicam, te laudis poenituisse meae?

---

**In Albam.**

Alba mihi semper narrat sua somnia mane.  
 Alba sibi dormit: somniat Alba mihi.

---

**Ad Priscum.**

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,  
 Carmen commendas munere, Prisce, mihi.

---

**In Paulum.**

Carmina tentemus: num quid tentare nocebit?  
 Paulus ait. Tenta! nil nisi fama perit.

---

**Ad Caecilianum.**

Garrula fama refert te, Caeciliane, disertum,  
 Nec minus esse pium, garrula fama refert.  
 Nil video cur haec credamus, Caeciliane.  
 Credo tamen: verum fama referre solet.

---

**Ad Olum.**

In prece qui multus nimiusque est, otia dum sunt,  
 Ille malas horas collocat, Ole, bene.  
 In prece qui multus nimiusque est, otia nec sunt,  
 Ille bonas horas collocat, Ole, male.

---

**Ad Naevolam.**

Vis fieri sanus? Mentiris, Naevola; non vis.  
 Nam fieri si vis, quid tibi cum Medico?

---

**Ad Sosibianum.**

Sosibiane, rogas, prodat Galathea quot annos?  
Annos quot prodat nocte? diene rogas?

---

**Ad Tuccam ludimagistrum.**

Dic mihi, quis furor est ludo spectante cacare?  
Num gravitatem aliter frontis habere nequis?

---

**Ad eundem.**

Quid te, Tucca, juvat gravitatem fingere vultu,  
Ridetur gravitas si gravitate tua?

---

**In Canem.**

Nonne Canis germana Cani appellatur amica?  
Cur ergo incestus insimulare Canem?

---

**Ad Posthumum.**

Quis melos auditu redimat, dic, Posthume, sodes.  
Qui famam redimit, Posthume, morte sua.

---

**Ad Neaeram.**

Te tam deformem qui pinxit, pulchra Neaera,  
Blanditus Veneri, pulchra Neaera, fuit.

---

**In Armillum.**

Cui dedit, haud dedit Armillus, qui munera egeno  
Non sine teste dedit. Cui dedit ergo? Sibi.

---

**Ad Murlam.**

Desine, Murla monet, nunc desine scribere nugas.  
Tu legere ast nugas desine, Murla, prior.

---